



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

Torsellini, Orazio

Romae, 1597

Cap. 14. [i. e. Cap. 13.] Cælestes fla[m]æ in ipso templo Lauretano visæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

Cœlestia flammæ prodigia Laureti renovata.

Cap. XIII.

HAud ita multo post cœlestia prodigia longe maiorem solito mortaliū multitudinem conciuere Lauretum, & expiendam Patribus, excolendamque præbuerunt. Non dum vertente anno, nocturni ignes tanquam stellæ, visi erumpere è Lauretanæ Basilicæ tholo; ac versus Montem Filatranum (pagus est Laureto proximus) sensim velut agmine quodam procedere. Ibi supra vetustam B. Mariæ ædiculam, quasi choreas in orbem agitare aliquandiu, denique ad Lauretanam Aedem vnde discesserant, recipere se. Id primo à pastoribus eius pagi accolis, inde horum indicio etiam ab incolis notatum populoque vniuerso, tanta quidem omnium admiratione, vt stupor quidam cunctorum animos occuparet. Nec breue, aut fugax spectaculum erat, sed diuturnum, ac prope ipsi æquale nocti. A secunda enim ferme noctis hora, vsque ad primam auroram tenebat. Itaque complures rei propius visendæ auidi ad eum accurrebant locum, qui cœlestibus ignibus collucere videbatur. At vbi eo ventum erat, repente mirabilis illa species eminus conspecta subducebatur oculis cominus intuentium, cum tamen eodem ipso tempore prospectantibus appareret. Quæ cœlestium luminum fama celeriter, vt fit, toto Piceno vulgata, ad tam iucundum spectaculum finitimos exciuit populos. Per noctantes igitur sub dio opportunis ad spectandum locis, cœlestes flammæ ex Aede Lauretana emicare, supraque ipsorum capita ferri videbant, haud minore admiratione, quam gaudio. Nec vana illa fuisse spectacula, mox miraculorum ostendit euentus. Constans fama est, mortaliū complures ædiculam illam ingressos, Dei Deiparæque Virginis dono, varijs depulsis morbis, domos suas reuer-

*Trad. Laur.
Ann. Laur.
Rer.*

reuertisse incolumes: Ex quo numero claudos, surdos, herniosos, & energumenos fuisse. Sentires illas Lauretanorum luminum in alia B. Mariae templa excursions hoc significare mortalibus, Lauretanam Aedem longe, & fastigio, & dignatione inter alias eminere: quod in illis B. Maria diuersari, hic quodammodo habitare videretur.

Flammae caelestes in ipso etiam templo Lauretano visa.

Cap. XIIII.

*Tradit Lau.
Ann. Laur.
Riera.*

Nec foris modo, sed etiam intra ipsum templum caelestes flammæ quandoque visæ. Anno insequenti, qui fuit M. D. LV. cum vnus è Patribus Societatis Iesu in Lauretana Aede concionem de more haberet ad populum, luce palam, plurimis inspectantibus, ignes quidam haud obscuri coelo delapsi sacrosanctum sacellum insedere: mox inde diffusi circumire concionem: denique cunctis rei miraculo stupentibus, recipere se se in coelum. Ea res, vix credibile est, quantum intuentium animis mixta gaudio religionis incusserit. Aderat forte in turba, Raphael Riera Sacerdos è Societate Iesu doctus iuxta, ac pius, qui hoc ipsum, & alia deinceps plurima ad Lauretanam historiam pertinentia memoriae prodidit. Is tum rei miraculo, ac nouitate attonitus, repente humi procubuit venerabundus. Cumque Deo, ac Deiparæ grates ageret, à quibus tali dignatus esset spectaculo; tantâ caelestis gaudij copiam in præsentia hausisse se tradit, vt complures deinceps durauerit dies, pectore Dei caritate, & B. Mariae religione semel accenso. Neque vero id vni sibi contigisse ait, sed alijs compluribus, qui à concione idem sibi quoque accidisse, & sermonibus, & gestibus, & scilicet lacrymis testarétur. adeo insolita lætitia sacro horrore mixta ex vultu, oculis, gestibus corporis eminebat. Haud vanam

nam